



**MAGNI OPERIS || DE OMNI=||BVS GERMANIAE ||  
EPISCOPATIBVS || EPITOMES:||**

CONTINENS ANNALES || Archiepiscopatus MOGVNTINI ac duodecim ||  
alioru[m] Episcopatum, qui Moguntino Suffra=||ganeatus titulo subsunt:  
Item BABEN=||BERGENSIS Episcopatus, ab || omni iugo Archiepiscopali ||  
exempti.||

**Brusch, Kaspar**

**Noribergae, 1549**

**VD16 B 8782**

Octavvm, omnes Augustanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64715)

CATALOGVS EPISCOP.  
OCTAVVM CAPVT  
de omnibus Episcopis Eccle  
siae Augustanae in  
Sueuis.

**D**E AVGVSTANI in Sueuis uetustissimi Episcopi  
scopatus, initio ac origine prima, propter uari  
as easq; non adeo bene consentientes diuersorū narra  
rationes, uix certi aliquid Lectori polliceri possum.  
Narrabo tamen bona fide ac breuiter, quae hac ipsa de  
re in uetustissimis chartis ac monumentis inueniuntur.  
Aiunt annum Domini circiter 196 ex Hispanijs in Ger  
maniam et ad Augustam Vindelicorū uenisse sanctum  
quendam Episcopū Narcissum, plantandae ac propagan  
dae ibi Christianae doctrinae ac religionis ergo. Nā etsi  
S. Lucius Churiensis Rhetiae Apostolus Christum  
antea etiam Augustanis ac circumiacentibus Vindelis  
eis cōcionatus esset, tamen à gentilijs suis superstitioni  
bus abduci tum non potuerunt. At Episcopo Nar  
cisso idem Christi Euangelium maiore fortassis spiritu  
ac zelo annunciante, & luculentius populo rudi pro  
ponente, ceperunt emolliri tandem:

*Sœua Sueuorum et Mauortia & effera corda.*

*Conuersos igitur ad Christi cognitionem ac professio  
nem*

nem multos Vindelicos baptisauit S. Narcissus,  
 imprimis uero Dominam Hilariam eiusq; filiam,  
 Afram: quas Cypri Reginas fuisse affirmant, ac Domi-  
 nae Hilariae fratrem Sosimum: quem praestanti ingenio  
 eloquentia item ac mediocri doctrina praeditum, ut ipse  
 etiam Christum Dei filium rudi adhuc Alemannorum  
 populo praedicaret, pie & grauitur aliquoties exhorta-  
 tus facile persuasit. Hunc Sosimum S. Narcissus  
 non iam amplius Sosimum, sed S. Dionysium appella-  
 lans, Dionysij Ariopagite conterranei ac compatriotae  
 ferè sui uirtutem ac uitae sanctimoniam uel imitari eum  
 uel etiam superare uolebat. Sic Sosimus ille uel Dio-  
 nysius, aliquandiu praesente adhuc, & postea re-  
 deunte in Hispanias suo Sancto Narcisso Augu-  
 stanis & Vindelicis Christum intrepida uoce duo-  
 bus penè annis concionatus est: Cum autem repræhen-  
 deret acriter Idolomanias gentilicias, & contra sta-  
 tuas Ethnicorum Deorum solum & unum Deum,  
 illum uidelicet qui trinus & unus esset, adorandum  
 concionaretur: irruit in eum ac totam eius familiam, in-  
 pias item ac Christianismo nuper initiatas puellas  
 Afram, Dignam, Eunomiam ac Eutropiam, & in has  
 rum omnium Dominam ac formatricem Hylariam Ga-  
 ius Tyrānus, Diocletiani Imp. ac Ecclesiae Christianae  
 summi persecutoris praefectus: Hanc totam inquam  
 Sancti uiri Sosimi nouam adhuc scholam & Eccle-  
 siam ad supplicium rapiens, primum exquisitissimis  
 S. tormena

## CATALOGVS EPISCOP.

tormentis misere cruciavit, postea cum nulla spes esset Tyranno, redituros istos Christi Confessores ad gentilitias abominationes: statim ut interficerentur etiam omnes, apparitoribus suis praecepit. Hoc factum legitur annum Christi circiter trecentessimum: & hunc Sosimum uel Dionysium sanctum Dei Martyrem suum primum Episcopum tota Augustensis Ecclesia iactat, praedicat, & unanimes consensu confitetur. Post quem uacasse sedem Episcopalem aliquandiu non dubium est, propter summam Tyrannidem & crudelitatem Diocletiani Imperatoris in Christianos pariter omnes sine ullo uel sexus uel aetatis discrimine exercitam. Habitarunt S. Sosymus & eius soror Hylaria extra urbem Augustanam eo loco, ubi nunc est templum S. Vdalrici: in eadem uicinia, & agros & hortos etiam habuerunt. Vnde hodie adhuc eius tractus aedes ferè omnes S. Vlrici coenobio uectigales ac tributariae sunt. Est hodie adhuc in Augustani cuiusdam Canonici aedibus lapis cum hac inscriptione, SOSYMVS primus.

2. BERVVELPHVS, alijs ðuernolphus, Sueuus: secundus Vindellicorum & Augustanorum Christum confitentium Episcopus fuisse, & ueris pij Episcopi officijs quinq; annis praefuisse legitur, sed quando Episcopus constitutus aut quando mortuus, ignoratur.

3. TAGENBERTVS alibi Dagobertus pius ac sanctus Dei uir, ueritatis Christianae diligentissimus doctor & assertor, praefuit Augustanis concionando

ac docendo, baptizando ac alijs pietatis Christianæ officijs annis sedecim. Post eius mortem propter summam Ecclesiarum Christum profitentium persecutionem, iterum aliquandiu sine gubernatore fuit Ecclesia Augustana.

4. MANNŌ, gente Sucus: fideliter præfuit Augustanæ Ecclesiæ, pure docendo Christianos, annis 19. Quando uero præesse cœperit, aut quando eum Deus ex hac mortali uita euocarit, non inuenitur.

5. VVICHŌ præfuit Augustano Episcopatu octodecim annis.

6. BRICO alijs Perichus, comes Brigantinus, eligitur post mortuum Wichonem, præfuit annis uiginti, summo studio Arrianam hæresin oppugnans docendo & concionando, qua tota tum Germania etiam infecta & contaminata erat.

7. ZAYSO præfuit Augustanæ Ecclesiæ annis uno & uiginti, uixit temporibus Iustiniani Imperatoris, ac Bonifacij secundi, P. M. Inchoauit Cathedralē Basilicam D. Virginis, quam hodie adhuc summum templum Augustani habent & appellant. Post huius Episcopi ex hac mortali uita egressum, iterum uacauit aliquandiu Ecclesia Augustana, sed ob quas causas, aut quàm diu: id omne ignoratur.

8. MARCOMANNVS præfuit Augustanis concionando ac docendo 19 annis. Post hunc aliqui ponunt tres Episcopos, fortunatum uidelicet, Philippum

S 3

&amp; Cyriac

CATALOGVS EPISCOP.

& Cyriacum: sed illi Augustanae Ecclesiae non praes-  
 fuerunt. Fortunatus enim in Galliam peregrinans ad  
 S. Martinum, paucis aliquot diebus saltem Augustam  
 commoratus est. Philippus aliunde etiam Augustam  
 adueniens ibi martyrio est coronatus. De Cyriaco ni-  
 hil prorsus legitur. Ante uero ista tempora, circiter an-  
 num Christi 400 legitur S. Ambrosius Episcopus Me-  
 diolanensis ad Augustam Vindelicam ab Arrianorum  
 heresi repurgandam S. Albanum ac Episcopum quen-  
 dam Philippensium Theonestum misisse: quibus seue-  
 re reprehendentibus ac acriter confutantibus Arria-  
 nos errores, Arriani in eos magno tumultu consurgens  
 tes, ac fremetes pijs doctoribus grauius insidiati sunt,  
 Vrsusq; comitem quendam eorum captum trucidarunt.  
 Albanus & Theonestus inde Moguntiam profecti,  
 ibi etiam contra Arrianorum furores acerrime pugna-  
 runt concionando ac docendo: donec uterq; Martyrij  
 coronam acciperet.

9. S. VICTERBVS alij Victorpus primum Mo-  
 nachus ac Monachorum Pædagogus, postea Abbas  
 Elefancensis cœnobij, ab Hariolfo quodam Lingonens-  
 si Episcopo fundati: eligitur tandem in Augustanum  
 Episcopum, à Rege Galliarum Pipino: Præfuit ibi  
 laudabiliter ac summo Christianæ pietatis promouens  
 de & ampliandæ studio annis sedecim. Ad hunc Vic-  
 terpum uenit Sanctus Magnus, Sancti Galli disci-  
 pulus petens ab eo ueniam ac potestatem ædificandi  
 pro

pro se ac discipulis suis cœnobij, quod sumptibus Regis Pipini, & huius Episcopi auxilijs construxit magnificum ad Lyceum amnem in Alpium Sueviae faucibus: unde faucense, & hodie adhuc parum immutata uoce fuisse cœnobium ac oppidum id appellari solet. Obijt Vieterbus decima octaua Aprilis anni à nato Christo Septingentesimi quinquagesimi secundi. Consecrauit templa Monasteriorum Cambidonensis, S. Magni, & Benedicti Purrhensis.

10. S. THOSSO parrochus Waldhofensis, cõstituitur Augustanae Ecclesiae Episcopus à Rege Galliarum Pipino S. Magni precibus ac commendationibus moto, anno Domini septingentesimo quinquagesimo tertio, præfuit 11 annis. Obijt decima sexta Ianuarij anno 765. Sepelitur apud S. Afram, ubi hodie est tẽplum S. Vlrici, quo loco omnes eius antecessores cubare creduntur. Post hunc Thossonem diu uacauit, sedes Augustani Episcopi propter uarios tumultus qui tum inter Germaniæ Principes ac Reges, Odilonem ac Thasilonem Bauaros, Godefridum Sueuum, & Carolum Magnum, aliosq; exarserant.

11. S. SYMBERTVS dux Lotharingiæ patre natus Amberto, matre uero Symphoriana Caroli Magni sorore, relligiosissimis coniugibus: educatur in pietatis & literarum studijs in Maurbacensi perueteri ac præpotenti Alsatia Cœnobio instituti Benedictini, cuius loci tandem est designatus

S 4 Abbas

CATALOGVS EPISCOP.

Abbas: ubi sic pie & honeste uixit, ut toti suo Conuentui exemplum honeste ac innocentis uitae praeferret. Tandem cum uacasset multis iam annis Augustanus Episcopatus, propter ciuilia bella Bauariae & Suae uiae ducum: quae Carolus Magnus, nondum tum Imperator, deuictis potentissimis principibus foeliciter confecerat, coepit idem ille potentissimus Galliarum Rex, non solum Augustanam urbem egregie ampliare, sed de instaurando etiam Episcopatu diligentissime cogitare. Euocato igitur ad sese e Maurbacensi Abbacia S. Symberto nepote suo, constituit eum ex Abbate Episcopum urbis & Ecclesiae Augustanae anno Domini 779. Ibi cum praefuisset ille laudabiliter ac utilissime cum concionando ac docendo tum collapsa templi pulchre reparando annis triginta, euocatus est ex hac tandem lachrymarum ualle plenus dierum, decima tertia Octobrium, Anni a nata salute humani generis sempiterna 809, Imperante Carolo Magno. Sepelitur honorifice in S. Afrae templo a sese post factam ab Odilone seditioso Bauarorum duce uastationem pulchre instaurato.

12. HAVTO alijs Hanto comes de Andechs Bauarus maximus Episcopatus Augustani locupletator & donator, successit S. Symberto. Praefuit adhuc anno Domini 840 sub Ludouico Pio. Somnia igitur sunt, quae eum septem tantum annis praefuisse affirmant. Habuit fratrem religiosissimae etiam uitae, Rathardum  
 Canoniam



Canonicum, qui Damasiani insignis Monasterij apud Bauaros fundator esse legitur.

13. VVALTHERVS subrogatus est Hautoni, sed quo anno id ignoratur: præsuit laudabiliter & optime decem annis: fuit optime meritis de Imperatore Lothario, cui cum à legationibus tum à consilijs fuit intimis. Legitur in concordiam redeuisse acerrime inter se de prædiorum quorundam possessione certantes Odogarium Archiepiscopum Moguntinum, & Abbatem Hirßfeldensem. Quando uero huic mortali uitæ ualedixerit, nusquam inuenio.

14. ADELGERVS successit antistiti Dwalthero: præsuit pie & laudabiliter annis sedecim: Obijt anno Domini 864.

15. NEODEGARIVS uir sanctæ & innocentiſsimæ uitæ, successit Episcopo Adelgero, præsuit annis quatuor. Fuit primum Monachus, postea etiam Abbas magnificentissimi Monasterij Vitenburrhani, in Sueuis, à Silacho Francorum duce ac Ilergouia comite eiusq; coniuge Domina Ermenſuinda fundati. Construere cepit de nouo templum S. Magni in faucensi cœnobio. Obijt anno Domini 869. Sepelitur in templo S. Afræ, cum tali inscriptione:

Beatiſsimæ memoriæ.

Requiescit hic Nidgarius Episcopus: Omnes legentes orate, ut pius Deus illi misereatur.

Obijt beatus decima septima Calendarum Maij.

S 5 Lantho

CATALOGVS EPISCOP.

16. LANTHO alijs Dancko & iterum alijs Lancko dictus: constitutus est Augustanae urbis & Ecclesiae Episcopus, anno Domini 870, praesuit annis sex, et aliquot mensibus. Fuit magnus benefactor & illustrator monasterij Faucensis. Canonisauit & in Diuorum numerum retulit cum consensu Rom. Pont. S. Magni, cuius uitam etiam Emerico Monacho cuidam Elefancensi eximie docto describendam & posteritati commendandam commisit. Obijt anno Domini octingentesimo septuagesimo septimo.

17. VDELMANNVS nobilissimis parentibus in Sueuia natus, eligitur in Augustanum Episcopum anno Domini 880. Praesuit annis septem, mensibus octo. Decessit ex hac mortali uita anno Domini 888. Legitur dedicasse & consecrasse templum pagi Herberdisshofensis, ubi nomen ipsius arae maxime adhuc inscriptum inuenitur, paucis literis uetustate omnia immutante consumptis.

18. VVIDGARIVS uel Wuidogerus Abbas prius insignis Monasterij Vttenburrhani, eximie doctus & humanissimus, constituitur in Episcopum Augustanum, post defunctum Vdalmanum, anno dominicae incarnationis 888, praesuit annis decem laudabiliter: proficiscitur anno redempti orbis 898 ad Heluetios ut eos ab erroribus gentiliciorum Idolomaniarum in uiam Christianae ueritatis ac fidei pijs concionibus ac admonitionibus abducatur, hinc Heluetiorum Apostolus dici meruit.

meruit. Moritur & sepelitur apud Heluetios circa annum Domini 901.

19. S. ADALBERVS comes à Dillingen, genere egregie quidem nobilis, sed uirtute, sapientia & uita morumq; integritate longe nobilior, factus est ex Monacho Elfangensi Episcopus Augustanus, & Abbas Elfangensis, anno Domini 904, præfuit cum Episcopatu, tum Abbatia annis septendecim. Obijt anno Domini 912. Sepelitur apud S. Afram in sublimi ac de terra eleuato tumulo. Fuit Arnolpho Imperatori (cum adhuc esset in Elefancensi cœnobio) charissimus: eius baptisauit & postea etiam pietate literis ac bonis moribus erudiuit & informauit filium, Regem Ludouicum, qui tertius huius nominis patri in Imperij gubernatione successit. Fuit uir eximie doctus, excellens Musicus: Sangallensis Monasterij liberalissimus benefactor. Sancti Vlrici alumnus & informator. Assumpsit sex annis antequam moreretur coadiutorum Hildinum: eximia uirtute ac uitæ integritate præstantem uirum.

20. HILDINVS assumitur primum in Coadiutorem à S. Adelbero, cum quo sapienter Episcopatu præfuit annis sex, & mortuo Adelbero, electus unanimi totius cleri cōsensu, præfuit mensibus adhuc quindecim, & ex hac mortali uita foeliciter emigravit: anno 913. Sub his duobus Episcopis simul gubernantibus Obijt anno 912. Imperator Ludouicus tertius,  
Arnol

CATALOGVS EPISCOP.

Arnolphi filius apud Laurissam honorifice sepultus. In huius Episcopatus diuersis ( quos uidimus ) Catalogis plurimum huc usq; uariant annorum numeri: nos tamen ex illa uarietate ea selegimus, quæ maxime uisa sunt certa & ad ueritatis normam proxime accedere, et cū alijs Chronicis ac Historijs optime cōuenire.

ii. S. VDALRICVS patre Hugobaldo comite Kiburgensi ac Dillingensi, matre uero Gerbirga ( alij Dietbergam uocant ) comitissa Veringensi editus: in Monasterio Sangallēsi ab eximiæ doctrinæ & sapientiæ monacho quodā Vuanningo, liberaliter cum in Grammaticis tum in sacris literis institutus est. Postea S. Adelbero Episcopo Augustano commendatus, illi à legationibus & consilijs fuit: à quo Romam alia quando ad Pont. Max. Marinum missus, ita pontifici sapientia, doctrina & uirtus eius placuit, ut statim eū Adelbero Episcopo uellet in gubernatione Episcopatus succedere: quem honorem summa humilitate deprecatus est. Domum reuersus apud parentes pie uiuit: donec anno Domini 913 ab Imperatore Henrico Aucupe, Augustanæ urbis constitueretur Episcopus: Ibi sapienter, pie, fideliter ac utilissime præfuit annis penè quinquaginta. Henrico Aucupi in Imperatorem electo, opposuit sese Arnoldus quidam seditiosus Bauarorum dux: hunc ad pacem & publicam tranquillitatem conseruandam exhortatus est S. Vlricus, qui uisionem uiderat, in qua ostenderat Deus S. Vlrico, Arnoldum ducem

ducem, armatum quidem, sed ita ut gladio deesset Cas-  
pulus: quo significatum est, non gesturum eum gla-  
dium, hoc est, Imperialem dignitatem, quam ambiret,  
& seditiose appeteret. Anno Domini 954 adfuit Impe-  
ratori Othone Magno pugnanti contra Hunnos, qui  
iam totam Bauariam incendijs ac rapinis uastarant: ho-  
rum innumeræ copiæ foeliciter prope Augustam ab  
Othone Magno cesa ac profligatae sunt. In hac pu-  
gna amisit S. Vlricus fratrem, Theobaldum, alijs Re-  
ginobaldum dictum, comitem Dillingensem, strenuum  
bellatorem: cuius filium Richouinum Imperator Otho  
feudis eiusdem comitatus Dillingensis inuestiuit. Postea  
S. Vlricus urbem Augustanam ampliavit, includens  
moenibus templum S. Afræ misere uastatum ab Hun-  
nis, quod ipse eleganter instauravit, & in eo sibi ui-  
uus adhuc sepulturam elegit. Id templum, hodie S. Vl-  
rici templum appellant: quod in summitate urbis est  
longe maximum & augustissimum. Aedificauit eo  
loco, ubi coesi essent ab Othone Magno Hunni, in per-  
petuam eius uictoriae memoriam: Monialium coeno-  
bium S. Stephani, cuius loci Abbatissam primam con-  
stituit cognatam suam, Dominam Eleysiniam comitis-  
sam Dillingensem, pudicissimam ac honestissimã puel-  
lam. Appellauit hoc Monasterium S. Stephani coeno-  
bium, quod Regem Hunnorum captum, eodem loco  
sacro baptisinate abluisset, eumq; Stephanum nomi-  
nasset. Construxit idem S. Vlricus Sancti Iohannis  
etiam

## CATALOGVS EPISCOP.

etiam Basilicam. Obijt plenus dierum anno etatis suae 83: quinta Iulij, anni à nato Christo humani generis redemptore 973, quo anno Otho etiam Magnus ex hac uita emigrasse legitur, in Memlebenio Thuringiae coenobio ad Vnsterū amnem sito. Sepelitur honorifice à S. Vuolffgango Episcopo Ratissponensi agnato suo, in Sanctae Afræ à se postea cognominato templo. Praefuit aliquandiu Vttenburrhano etiam coenobio.

22. HENRICVS comes à Geysenhausen, natus patre Burcardo, matre uero Adelheyde, Othonis Imperatoris ex fratre Henrico Bauarorum duce nepte: constituitur Episcopus Augustanus ab Othone primo & Magno. Praefuit laudabiliter octo annis: Dedit uniuersum comitatum suum, cuius ille iam factus erat ultimus haeres, Augustanae Ecclesiae. Profectus est cum Imperatore Othone secundo patruo suo, in Apuliam & Calabriam, ubi contra Saracenos, fortiter pugnans occubuit cum alijs multis Germaniae Principibus, Othone secundo capto, sed tamen linguae Graecae auxilijs liberato & fuga elapso. Occubuit autem in Iulio anni à nato Christo humani generis redemptore noningentesimi octogesimi secundi.

23. EPTYCHVS uel Ethico comes ab Altorff, ex Guelphonum familia natus: subrogatur Henrico Episcopo Augustano, praefuit annis quinque mensibus sex: Decessit ex hac lachrymarum ualle anno dominicae incarnationis noningentesimo octogesimo octauo.

Sub

Sub huius Episcopi gubernatione Obijt Romæ anno  
Dominicæ incarnationis 983 laudatissimus Impera-  
tor Otho secundus, non sine ueneni suspicione: Sepe-  
litur ibi honorifice apud D. Petrum. Hunc Episcopū  
alij Stuchonem uocantes, nobilem de Altemmunster  
fuisse dicunt.

24. LVITHOLPHVS alibi Luitholdus, eligitur  
in Episcopum Augustanum anno Domini 988, præ-  
fuit laudabiliter annis septem, mensibus sex. Obijt ui-  
cesima septima Iulij, anno Domini 996. Subleuauit de  
tumulo & Diuorum numero adscripsit S. Vlricum  
Episcopum Augustanum, cum consensu Pont. Max.  
Ioannis decimi quinti. Sub huius antistitis gubernatio-  
ne concidit Augustæ anno incarnati filij Dei 994  
summa D. Virginis Basilica: eam auxilijs Domi-  
næ Adelheydis Imperatricis, Othonis Magni relicta  
uiduæ, Burgundionum Reginae, magnifice iterum ins-  
taurans, & fortiorem ac illustriorem, quam fuisset un-  
quam antea, fecit: iterumq; Diuæ Virgini matri de-  
dicauit.

25. GEBHARDVS S. Vlrici antea Sacellanus &  
summi Canonorum collegij præpositus, qui uitam  
Sancti Vlrici descripsit: Abbas postea Elefancensis  
Monasterij in Rhiesia siti factus est. Vbi cum sex an-  
nis laudabiliter uixisset, ad gubernationem Episcopa-  
tus Augustani accersitus, eidem etiam officio summa  
uirtute ac prudentia præfuit annis sex: resignans  
Abba

Abba

## CATALOGVS EPISCOP.

Abbatiam Elefancensem Hartmanno cuidam anno Domini 998. Deceſſit ex hoc mortali ac lugubri ſeculo, anno redempti à filio Dei orbis 1001. Septima Iulij.

26. SIGEFRIDVS ſucceſſit Gebhardo, præſuit annis ſex, menſibus totidem: Obijt anno Domini 1009. Non laudatur in Catalogis Auguſtanorum. Sepelitur in Baſilica Cathedrali D. Virginis prope ueterem chorum, iuxta Luitholphum ac Gebhardum Episcopos, antecſſores ſuos: cum tali inſcriptione.

Omnia ſubſidunt, ater cinis omnia fiunt,

Omnia nata ruunt, omnia prætereunt.

Ecce Luitholphum, Gebhardum, tum Sigefridum,

Non uetere mori forma genus q; ſui.

Vrbis prælati requieſcunt hic tumulati,

Qui docuere gregeſ, ordine pontifices:

Mundo ſublato uiuant in pace beati,

Qua ſine nocte dies, qua ſine fine quies.

27. BRVNO dux Bauariæ & Saxonie, germanus frater Imperatoris Henrici ſecundi, fundatoris Bambergeniſis: eligitur, mortuo Sigefrido, in Episcopum Auguſtanum, unanimi conſenſu totius cleri. Præſuit prudentiſſime & utiliſſime annis uiginti duobus: fecit ex Canonicorum S. Afræ Collegio cœnobium S. Vlrici, ordinis D. Benedicti: conſtituit ibi primum Abbatem, doctum & ualde relligioſum uirum Regis nobaldum, qui poſtea ad Spireniſis Episcopatus gubernationem uocatus, ibi octo annis cum ſumma laude præſuit



præfuit. Omnia autem ornamenta & omnes thesauros  
ditiſſimi templi S. Afræ, tranſtulit in D. Virginis Ca-  
thedralem Baſilicam: Circa huius Episcopi gubernas-  
tionem Otho tertius Rom. Imperator, in Italia prius  
mortuus Augustam allatus, ibiq; exenteratus, &  
(uisceribus in Cathedrali eius loci Baſilica sub honori-  
fico marmore depositis) inde Aquisgranum auctus  
ac insigni pompa funebri, magnifice sepultus est. Sub  
eodem Episcopo S. Henricus Imp. plurima donauit cœ-  
nobio S. Vlrici insignia prædia, multos etiam ampliſſi-  
mos pagos: Eiusdem Imperatoris sumptibus & ex-  
pensis edificatum est à Brunone Episcopo templum  
S. Mauritij Augustanum, quod ab eodem Henrico mu-  
nificentissime donatum est. Anno Domini 1016 eunte  
Imperatore Conrado secundo in Italiam, Guelpho in-  
terim Bauarorum dux, bellum Brunoni Episcopo fi-  
lium Imperatoris Henricum tertium apud se habenti,  
& bonis literis ac uirtutibus erudienti, infert: Augu-  
stam obsidet, obsessam expugnat, expugnatum diris-  
pit. Sed Imp. ex Italia reuersus Guelphonē seditiosum  
egregie ultus, ad condignam satisfactionem ac restitu-  
tionem omnium honorum Augustanæ & urbi & Eca-  
lesiæ sublatorum eum compulit. Deceſſit Episcopus  
Bruno ex hoc seculo, octaua Maij, Anno Domini 1031  
Ratisbonæ in Comicijs ab Imp. Conrado secundo cele-  
bratis. Reuchitur inde Augustam, & ibi honorifice  
sepelitur in S. Mauritij templo: insigni Mausoleo, quod

T anno

## CATALOGVS EPISCOP.

anno Christianae salutis Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto è medio sublatum est.

18. EBERHARDVS à quibusdam Eppo, ab alijs Gebhardus dictus, successit Episcopo Brunoni, praesuit annis octodecim. Fuit magnus benefactor coenobij S. Vlrici. Obijt in Vigilia ascensionis dominica, anno Domini 1048. Sepelitur honorifice praesentibus Henrico tertio, Rege: & omnibus Imperij principibus ac proceribus.

19. HENRICVS secundus, uir eximie doctus, robustus & formosus, subrogatur Episcopo Eberhardo, ab ipso Imperatore Henrico tertio, cuius iamdiu fuerat Cancellarius & intimus Consiliarius. Praesuit annis sedecim. Instituit Henricum quartum. Aedificauit palatium Episcopale, Cathedrali D. Virginis Basilicae contiguum: Falckensteinium item arcem in Alpibus Algonia sitam. Fuit inuisus Henrico Regi et Episcopis omnibus eo quòd Agneti Imperatrici, Henrici tertij coniugi, non sine adulterij suspitione ab intimis esset consilijs, & quod superbius aequo usurparet gubernationem. Quod cum animaduerteteret & suboleret ille, commode sese subducens in arcem suam Falckensteinensem munitissimam recepit, quam Henricus quartus obsidione cinctam tanta ui oppugnavit, ut ad deditionem Episcopum cogere, cuius uita tamen se parsurum pollicebatur Rex, longe aliud animo uolens, quam ore polliceretur: Descendentem uero ex arce.

cum

eum quingentis uiris, & ueniam commissi petentem, in tentorium suum Rex duxit, ubi coleis eius ligneo palo pertusis, ministris ut Augustam eum abducerent, reddidit. Sed mortuus est Episcopus antequam Augustam perferretur, in uigilia S. Barbaræ, anno dominicæ Incarnationis 1063.

30. EMBRICVS, Imbricus uel Emicho comes à Leyningen Præpositus summi tēpli Moguntini, constituitur in Episcopum Augustanū ab Henrico 4 Rege, anno dominicæ Incarnationis Millesimo sexagesimo quarto in ipso festo purificationis. Præfuit laudabiliter annis quatuordecim. Construxit Monasterium S. Martini, & Sacellum S. Gertrudis: ampliavit cœnobium S. Vlrici, & magnificum templum eiusdem cœnobij pulchre absoluit & consecrauit, anno Domini Millesimo septuagesimo primo. Author fuit nobili ac illustri comiti de Baltshausen & Schwabegk Swiggero, ut is templum S. Petri ac fœlicis construeret. Fuit munificentissimus pater omnium pauperum, orphanorum & uiduarum: Imperatori Henrico quarto ita charus, ut ab eo singulis annis semel inuiseretur. Erat omnium discordiarum & controuersiarum inter principes Germaniæ suo sæculo ortarum diligentissimus transactor & fœlicissimus compositor. Missus aliquid quando ab Imperatore ad Longobardos, ibiq; captus, eloquentia sua se facile ipse liberauit. Decessit ex hac lachrymarum ualle, tertiâ Augusti,

T 2 anno

## CATALOGVS EPISCOP.

anno Domini 1077. Sepelitur in Cathedrali eius loci Ecclesia ante sacram crucem.

31. SIGEFRIDVS secundus, comes à Dornberg, etsi sint qui Marsallum à Dornspurg fuisse credant: eligitur anno Domini 1077 à maiori parte Canonorum summi Collegij in Episcopum Augustanum. Contra illum ab alia parte constituitur Episcopus Wigoldus quidam, qui quis fuerit ignoratur. Sigefridus Augustæ, Wigoldus fussenij residebat: ubi uterq; sibi ex circumiacentibus ac vicinis Regulis querebat auxilia & præsidia, quibus se speraret gubernaculum Episcopatus retinere posse. Sic per septennium disceptatum est acerrime, cum summa Episcopatus rerum iactura: Accidit autem, ut anno Domini 1084 Henrico III in Italiam profecto, urbs Augustana per prodicionem à Leopoldo Austriæ Marchione & Hermanno Sueorum duce capta, diriperetur tota & magna eius pars incendijs etiam vastaretur una cum Episcopali palatio ac plurimis templis. Discedentibus uero his primis hostibus mox uenit ex faucensi oppido Wigoldus etiam Episcopus, rapiens quicquid inueniret reliquum, misere etiam tractans Canonicos, qui ipsi non dedissent sua suffragia. Tandem & ipse præda onustus sese ad faucense suum oppidum recepit. Redeunte Imperatore Henrico quarto in Germaniam, dederunt penas suæ audaciæ grassatores illi principes. Imperator Augustam uenit, & cum eo etiam Episcopus Sigefridus: qui

qui iam quietem se habiturum sperans, coepit omnia iterum instaurare, quae erant collapsa & uastata. Vix abierat quadricennium: cum noui hostes ueniunt, Guelpho uidelicet Bauarorum dux summa ui urbem Augustanam mediocriter tum munitam oppugnans, quam cum aperta uirtute uincere non posset, ad fraudes dolos & proditiones confugit: quibus post pauculos dies urbe potitus est. Is urbem diripuit, incendit ac uastauit miserrime, muros omnes disiecit ac solo equauit: Episcopum Sigefridum cepit & Rauenspurgum abduci & in carcerem conijci mandauit. Habebat Episcopus apud se fidelem quendam ministrum, uirum nobilem Vdalricum pincernam de Blanckenberg: is defensurus Dominum suum, & se hosti pro eo obijciens, ut Clytus olim pro Alexandro, à Guelpho trucidatus est. Qui in summa Basilica D. Virginis terrae mandatus, postea ab Episcopo Sigefrido Augustam redeunte tali monumento donatus est.

Pontificis fidi uitam tego dum Sigefridi,

Vdalricus ego, sic tibi notus ero.

Guelpho ferens aciem, gladio me strauit inermem:

Ne patiar gladios (tu pete) Tartareos.

Ceperat Guelpho Episcopum non aliam ob causam, quam quod nollet ille Guelphones habere pro aduocatis ac defensoribus Episcopatus Augustani, cum semper antecessores Episcopi aduocatum suo arbitratu sibi constituissent quem uoluissent. Capto autem Sigefrido,

T 3 frido,

## CATALOGVS EPISCOP.

frido, uenit Augustam ex faucensi oppido Vuigoldus,  
 is Guelphonem pro aduocato libentissime se habitus  
 rum ultro pollicetur: sed cum uideret urbem non dire  
 ptam solum, sed totam pene miserrime uastatam ac  
 laceratam esse: Fussenium redijt, ubi animi mœrore  
 confectus, post pauculos menses obiit: cum iam à pri  
 ma electione utriusq; duodecim anni effluxissent. Ses  
 pelitur in coenobio S. Magni. Guelpho audiens de  
 goldum naturæ debitum absoluisse, constituit Æver  
 herum quendam, ut is Episcopatus Augustano post  
 hac præsit: sed & ille moritur, antequam Augustam  
 ingreditur. Accersit igitur Guelpho ex diuitis Aus  
 giæ coenobio, Eckenardum Abbatem & comitem Nel  
 lenburgensem, qui dictæ Abbatie laudabiliter iam præ  
 fuerat annis septendecim. Is cum Augustam proficisce  
 retur, in itinere lethali morbo correptus, se ad Mo  
 nasterium suum iubet reuehi & ibi post pauculos dies  
 etiam huic uitæ mortali & Episcopatus ualedicit. Guel  
 pho nondum uidens diuinitus repeti ad Augustana  
 Ecclesiæ gubernationem Sigefridum, alium querit,  
 quem Episcopatus deserto præficiat. Ibi proficit Ab  
 bas quidam Campidonensis, qui ipse in Italiam pro  
 fectus, ut apud Pontificem & apud Casarem pro  
 Episcopatu consequendo laboraret, in eadem etiam  
 profectioe ex hac mortali uita est euocatus. Sic tri  
 bus annis post secundam urbis uastationem elapsis,  
 Sigefridus tandem magna pecunia à Guelphone re  
 dimis

dimitur, qui domum reuersus non diu postea superstes mansit. Valedixit autem mortalium hominum conuersationi ipsa die S. Barbaræ anni à nato Christo Millesimi nonagesimi sexti, cum à prima electione octodecim anni effluxissent, quibus non erat admodum diuturna quiete aut tranquillitate potitus: uir dignus certe meliore fortuna, & uita foeliciore.

32. HERMANNVS comes à Wittelsbach ex Bavaris natus, luscus ex oculorum uitio appellatus, alijs tamen monoculus: successit Sigefrido, anno dominicæ incarnationis Millesimo nonagesimo sexto, Non legitime electus, sed Simoniacis artibus Episcopatum ab Henrico quarto per fratrem Vlicum à Wittelsbach uerius emens, quàm precibus uel authoritate obtinens. Præfuit sed non admodum laudabiliter annis triginta octo. Restaurauit moenia & dirutos uastatosq; à Guelphone muros, urbem longe faciens, quàm fuisset antea, ampliorem ac munitiorem. Commutauit hanc uitam, anno Incarnati filij Dei Millesimo centesimo tricesimo tertio. Huius Episcopi temporibus præfuerunt aduocati Episcopatus Augustani Conradus & Dornberus fratres, illustres ac generosi comites à Balzhausen & Schwabegk, fundatores Præmonstratensium magnificentissimi coenobij Vrspergensis in Sueuis, medio ferè itinere inter Vlmam & Augustam ad Mindulam annem siti.

CATALOGVS EPISCOP.

Cui praest hac tempestate, & praesuit iam uiginti sex annis ita laudabiliter, ut secundus sui coenobij fundator dici possit Reuerendus in Christo pater ac Dominus, Thomas cognomento Magnus, Magister Coloniensis, Abbas optimus ac humanissimus. Sub hoc ipso Episcopo, constructum est in hac ipsa uicinia, ab eorundem comitum à Schwabegk sorore, Domina Gisela, laudatissima puella: magnificum coenobium nobilium Virginum, quae ibi ut in domo disciplinae & honestissimorum morum sub Abbatissa liberalissime educatae, postea prodire & nubere solent. His praest nunc & praesuit septem iam annis laudabiliter, Nobilis ac magnifica Heroine, Reuerenda D. REGINA à Rorbach cum corporis tum ingenij bonis praestantissima: Wolffgangi à Rorbach ac Dorothea à Swilendwart omni laude dignissima filia.

33. VVALTHERVS Palatinus Tubingensis, eligitur in Episcopum Augustanum unanimi totius cleri consensu anno Domini 1134, decima nona Aprilis. Praesuit fideliter & utiliter annis sedecim. Fundauit & construxit cum fratre suo monasterium Brentianae uallis Anhusium, ordinis D. Benedicti. Ab hoc ipso Episcopo fundatum & constructum est anno Domini 1135 & absolutum anno Domini 1142 monasterium S. Georgij ordinis Canoniorum Regularium S. Augustini, quod est intra muros urbis Augustanae. Resignauit Episcopatum libere anno Domini 1150: & profectus  
in mo



in Monasterium orientalis Franciæ Selgenstadium, ibi reliquum uitæ absoluit. Obijt anno Domini 1153, nona Septembrium. Sepelitur in templo Selgenstadenſis cœnobij honorifice. Post eius ex Augusta discessum, magna pars urbis miserabili incendio deleta est.

34. CONRADVS comes à Lutzelstein, Alsata: eligitur unanimi consensu totius cleri anno Domini 1152. Præfuit laudabiliter annis quindecim. Obijt anno Domini 1167. Sepelitur honorifice apud S. Vlricum in loco capitulari: habitauit enim quatuor tantum annis in palatio Episcopali, reliquum uitæ, undecim uidelicet annos in S. Vlrici cœnobia relligiosissime transigens, & sub instituto Benedictino nihilominus tamen Episcopatum sapientissime gubernans.

35. HARDOVIGVS uel Hardoſwicus, nobilis heros à Lierheim, ex Rhiesâ natus: ex monacho & priore Cœnobij S. Vlrici constituitur Augustanæ urbis Episcopus anno Domini 1167. Præfuit annis septendecim in summa inquiete ac temporum difficultate. Assumpsit in aduocatos ac patronos defensoresq; sui Episcopatus, mortuis iam omnibus comitibus à Schwabegk; bono studio fridericum Barbarossam Imperatorem, & eius filios: cum autem arbitrarentur Guelphones Rauenspurgi residentes id ius ad se meliori titulo, quàm ad Sueuiæ duces pertinere, multas turbas mouerunt Episcopo, sua natura omnino pacifico ac bono principi. Obijt anno Domini 1184, uicesima quinta Ias-

CATALOGVS EPISCOP.

uarij, sepelitur honorifice in Cathedrali D. Virginis Ecclesia, ante aram S. Gregorij. Præcedente anno perijt calamitosissimo incendio totum Monasteriũ S. Vdalrici cum multis adiacentibus priuatorum ciuium aedibus in die S. Alexij decima septima Iulij: Anni à nato Christo Millesimi centesimi octuagesimi tertij.

36. VDALSCALCVS comes à Thennenlohe, etsi sint qui eam familiam non Thennenlohe sed Eschenlohe uocant. Eligitur ex præposito summi templi Augustani, in eiusdem antistitem ac Episcopum uicesima sexta Ianuarij anni à nato Christo Millesimi centesimi octogesima quarti. Præsuit laudabiliter ac utilissime annis octodecim, mensibus quatuor: decessit ex hoc mortali sæculo in ipsis Iunij Calendis, anno Domini 1202. Sepelitur in Cathedrali Basilica, ante crucem maximam: ubi etiam Embrius Episcopus terræ mandatus est. Huius Episcopi subsidijs reædificatum, et ab eodem etiam, anno Domini 1137 denuo consecratum est Cœnobium S. Vdalrici, præsentibus Imp. Friderico Barbarossa eiusq; filijs: et Episcopis, Conrado Moguntino, Othone Frysingensi, Hermanno Monasteriensi, Othone Aystatensi, et Bertholdo Tulnensi. Ab eodem Episcopo dedicatum et consecratum legitur denuo cœnobium Benedictinum S. Crucis in Danubiana uel Sueuica Dwerdea: quod anno Domini 1100 à Mangoldo comite Dillingensi ac Kiburgensi promonialibus constructum ac fundatum erat, quibus comes

mes ipse suam filiam, Dominam Gunderadin præferebat primam Abbatissam, sed cur sexus ibi mutatus sit, non inuenio. Idem ille Episcopus legitur primus fuisse fundator cœnobij Augustani, ad S. Crucem: in quod transtulit ille Canonicos ordinis S. Augustini ex Hamelbergo, loco non procul ab urbe sito: in quem eodem nuper adeo Conradus Episcopus ex Muterhofensi cœnobio (ubi primum iste conuentus cæperat ex liberalitate Marsallorum à Biberach) transtulerat. Hæc secunda eius cœnobij translatio facta est, anno Domini incarnationis 1194. Indictione duodecima.

37. HARDOVVICVS secundus huius nominis successit Episcopo Udalschalco, electus concordibus totius Augustani cleri suffragijs, anno Domini 1202. Non consequutus est confirmationem propter maximos tumultus, qui tum erant in Germania. Præfuit tamen laudabiliter ac prudenter annis sex. Obijt in Vigilia S. Apostolorum Philippi & Iacobi, anno 1208.

38. SIGEFRIDVS nobilis à Rechberg, præpositus summi templi Augustani, constituitur ac designatur eiusdem loci summus antistes ac Episcopus anno Domini Incarnationis 1208. Erat Regi Philippo eximie charus, in cuius aula habebat fratrem Hildebrandum à Rechberg, strenuum uirum, & ut Imperatori fidelissimum, ita etiam charissimum: qui Bambergæ ea ipsa hora unà cum Dapifero quosdam à Walburg, & alio nobili uiro à Caledin (à quo Marsalle

CATALOGVS EPISCOP.

Marsalli Bappenheimenses descendere dicuntur) apud Regem Philippum praesens fuit, & ut caeteri quoque inermis, cum irrueret in optimum ac piissimum Imperatorem seditiosus Sicarius Otho Palatinus à Vuitelsbach: quem indignissimum homicidam paucis diebus post, idem ille nobilis heros à Caladin sibi obvium factum interfecit. Praefuit Episcopus Sigefridus annis novendecim. Obijt anno Domini 1127 Brundusij in Italia cum sequeretur Imp. Fridericum secundum, proficiscentem Hierosolymam.

39. SYBOTHUS Baro à Gundelfingen, eligitur in praesulem Augustanum anno Christianae redemptionis 1127, praefuit summa cum laude ac utilissime annis viginti quinque: fuit Episcopus eximia uirtute, & uita integritate praeditus. Transtulit monialium Cisterciensis instituti collegium ex oppidulo Birkheim, in amoenissimum locum, in quo Lycus influit in Danubium: appellans nouum illud Monasterium Schonensfeldum: id factum est anno Domini 1141. Resignauit libere Episcopatum Augustanum, Canonicorum senatui cum summa gratiarum actione: anno Domini 1152: & in Casariense monasterium, in quo fratrem habebat Henricum Baronem à Gundelfingen, sese Religionis ergò conferens, in eo decem adhuc annis, ueste monastica indutus, sub Bernhardini instituti professione honestissime uixit. Obijt anno Christi Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, ipsa die assumptionis, Beatae uirginis

ginis Mariæ, sepelitur in choro Casariensis monasterij: sub Æwolwico nono eius loci Abbate.

40. HARTMANNVS comes, natus patre Hartmanno comite à Kiburg et Dillingen, matre uero Æwilburga comitissa à Kelmuntz in Seflingensi monialium cœnobio à se fundato sepulta: subrogatur antistiti Sibothoni consensu totius Capituli anno Christi 1252. Præs fuit laudabiliter ac utilissime annis triginta tribus: fuit princeps mitis, benignus & clemens, ac iccirco bonis omnibus charissimus: breuiter, omni uirtutum genere mortalium nemini secundus, gentis & familiæ suæ ultimus. Dedit iccirco Ecclesiæ Augustanæ ciuitatem & arcem Dillingensem, & uniuersum comitatum Æwitisingensem perpetuis temporibus possidendum, & omnes ferè pagos usq; ad Æwerdeam Sueuicam sitos. Fundauit & construxit de suis proprijs facultatibus Xenodochium Augustanum ad S. Spiritum, & Xenodochion etiã Dillingense. Fundauit cum patre Hartmanno & matre Æwilburgi adhuc supersitibus Medingense monialium cœnobium in agro Dillingensi situm. Eiusdem Episcopi subsidijs constructum & fundatum est cœnobium etiam S. Catharinæ intra muros Augustanos. Decessit tandem optimus ac longiore uita dignissimus præsul, ex hac mortali ad immortalẽ, ex momentanea ad æternam uitam, in die S. Vlrici anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo sexto. Sepelitur in Basilica Cathedrali ante crucẽ Maximam.

Potest

CATALOGVS EPISCOP.

Potesi non inconuenienter secundus fundator Episcopatus Augustani appellari.

41. SIGEFRI DV S nobilis ab Elrichshausen Ostrofrancus : successit Hartmanno antistiti Canonice electus anno Domini 1186, praesuit optime annis duobus, emit Episcopatus castrum Pfersheym uicinum urbi Augustanae. Obijt anno Domini 1188 in die S. Martyrum Io.annis & Pauli, mense Iunio. Sepelitur in Basilica Cathedrali ante crucem maximam prope alios suos antecessores.

42. VVOLHARDVS nobilis à Rodt, Sueuus: Sigefridi Episcopi antecessoris sui uterinus, eligitur in inspectorem ac gubernatorem Episcopatus Augustani 16 Augusti, anno Domini 1188. Fuerat antea diu Canonicus summi Collegij Moguntini, ubi cum multa collegisset, ea omnia iam liberalissime dedit ad restitutionem Episcopatus Augustani. Praesuit laudabiliter annis duodecim. Obijt in octaua trium Regum, anno reparatae salutis 1300. Multas dedit arces Episcopatus, plures in Marchionatu Burgouensi emit. Transfudit in urbem Augustanam, monialium coenobium S. Margaridos, ordinis S. Dominici: fundatum antea tribus miliaribus ab urbe ad Mindulam amnem, à suis maioribus nobilibus à Rot.

43. DEGENHARDVS Baro ab Helenstein & Heydenheim, Hartmanni Episcopi & Dillingensis somitis è sorore nepos, praepositus S. Mauricij: eligitur

tur 418

tur anno Domini 1300. Præfuit annis septem: Obijt 15  
 Nouembrium, anni à nato Christo 1307.

44. FRIDERICVS Speet, nobilis à Faymingen  
 Sueuus: eligitur cōcordibus totius summi Canonicorū  
 Augustensium senatus sententijs in Episcopum Augus-  
 tanum, anno reparatæ salutis 1307. Præfuit summa cum  
 laude, & pari Episcopatus utilitate ac commodo an-  
 nis uiginti duobus. Ampliauit urbem Augustanam  
 maxime. Fundauit cœnobium Dillingense minoris con-  
 gregationis ( ut uocant ) monialium. Author etiam  
 fuit quatuor Prouisorū, summæ Basilicæ Augustanæ,  
 qua fundatione pigritiæ fortassis Canonicorum summi  
 collegij consultum fuit. Obijt tandem anno salutis 1330,  
 sepelitur in Basilica Cathedrali.

45. VLRICVS nobilis heros à Schoneck, successit  
 Episcopo Friderico, Canonice ac legitime electus, anno  
 Domini 1330, præfuit laudabiliter sex annis, Obijt an-  
 no dominicæ Incarnationis 1336. Fuit Imperatori Ludo-  
 uico Bauarorum duci charissimus, cui cum fideliter  
 adhereret, confirmationem à P. M. Ioanne uicesimo se-  
 cundo impetrare non potuit: quam tamen postea à  
 Benedicto undecimo Ludouici Bauari amico facile est  
 consequutus. Vendidit quædam castra & quosdam pa-  
 gos Imperatori Ludouico, quos tamen ille uicissim  
 contulit, & donodedit Cœnobio Benedictino Ehes-  
 tal, recens à se condito, in honorem beatæ Vir-  
 ginis Mariæ, in quo duodecim comites uel Barones  
 ad pau

## CATALOGVS EPISCOP.

ad pauperiem redacti cum coniugibus sub Abbate uiuere, & Deo seruire, & honeste tractari deberent. Est id coenobium in Frisingensi Episcopatu situm.

46. HENRICVS à Schoneck, germanus frater Vdalrici: eligitur Canonice intercedentibus precibus Imperatoris Ludouici Bauari, anno Domini 1357: fuit antea summi collegij præpositus, præfuit duodecim annis: & quia adhereret Imperatori Ludouico Bauaro, excommunicato, deiectus est & exauthoratus à Pontifice, anno Domini 1349, & in eius locum assumptus & constitutus Marquardus nobilis à Randeck, qui iam confirmationem impetrarat à Clemente sexto, Pontifice Maximo. Videns autem Henricus nihil se posse efficere in tali rerum statu, reseruata sibi annua pensione, quam facile obtinuit, cessit Marquardo: reliquum uitæ in Sueuorum Gamundia transigens, ubi omnibus ciuibus charus, decessit ex hac mortali uita, & honorifice sepelitur in D. Virginis parrochia anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo octauo.

47. MARQUARDVS nobilis à Randeck, Neidlingus cognominatus, natione Sueuus: intruditur in Ecclesiam Augustanam, à Pontifice Maximo Clemente sexto, contra Henricum antistitem excommunicato Imperatori adhaerentem. Confirmatur anno Domini 1349: præfuit uiginti annis, raro Augustæ, sed semper ferè Imperatoris Caroli quarti aulam sequens, cuius etiam aliquandiu Vicarius fuit siue Locum tenens in

Italia



Italia: ubi à Mediolanensibus semel captus, mox tamen à Carolo Imperatore liberatus est. Impetrauit inter alia à Carolo quarto potestatem cudendæ monetæ: Designatus anno Domini 1368 Patriarcha Aquileianus, Augustani Episcopatus gubernationem summa gratiarum actione resignauit senatui Canonorum. Præfuit Patriarchatui annis adhuc tredecim, & obiit anno 1381. Cumq; paucis annis ante suam mortem audiret, esse grauissimas controuersias, inter senatum populumq; & Episcopum Augustanos unius, ac duces Bauariæ, alterius partis: uenit Augustam, & post uarias ibi habitas deliberationes ac grauissimas actiones pius arbiter & conciliator, omnibus dissidijs compositis, & è medio sublatis, in optimam gratiam ac concordiam, cum urbem & Episcopum, tum Bauariæ duces foelicissime reduxit.

48. VVALTHERVS patre nobili heroe ab Hohen-schlitze, matre uero illustri Domina à Randeck in Sueuis natus, auxilijs Marquardi antecessoris sui non tantum Episcopatus Augustani gubernatione, eo adhuc præfidente etiam consequutus est, sed Imperatori Carolo quarto etiam ita ab eodem insinuatus, ut & ipse Imperatoris fuisset aliquot iam annis Vicarius ac Locum tenens in Italia: cui dignitati ac officio ita præfuerat, ut apud omnes homines laudem facile sibi comparasset maximam. Ad gubernationem uero Episcopatus infœliciter accessit: id ita accidit. Emerant ante

V aliquot

CATALOGVS EPISCOP.

aliquot annos maiores ipsius, nobiles ab Hohenschlitz, oppidum et castrum Mindelheimense in Suevis, cum adiacente territorio: quod quia Duces Deccenses illis occupassent ac aliquandiu iam per vim tenuissent, sperabant se id auxilio huius Episcopi, cognati sui facile recuperaturos. Instant ergo Episcopo precibus tandem, donec ad arma sumenda eum incitarent, conscripto igitur exercitu Mindelheimium obsidione cingit, et adactis arctibus oppugnat. Sed quia Deccensis dux ad vim omnem sustinendam instructus esset, ut qui uaria haberet subsidia ex Dwerdenbergensi, Veringensi ac Zollerano alijsque pluribus comitatibus, Episcopi obsidionem non admodum curauit. Cum autem aliquando incautius obambulet Episcopus in castris ad oppidum positus, taesus lethali telo Alberti comitis Dwerdenbergensis, ex arce Mindelheimensi missus, illico occubuit, ipsa die S. Francisci, anno Domini 1369 cum non diu Episcopatu praesisset. Sic belli ac obsidionis Mindelheimensis iam finis erat. Episcopus mortuus Augustam reuectus, in summae Basilicae sacello D. Agneti sacro et a nobilibus ab Hohenschlitz olim fundato sepultus ac terrae parenti cum summo omnium luctu redditus est. Sub huius Episcopi gubernatione ceperunt Augustae Vindelicorum Tribus aut Curia, hoc est, summa Imperij ad plebem translata, et ex Aristocratia facta est Dimocratia.

49. IOANNES cogmento Schadland, ordinis  
 templi  
 V  
 predicat

Prædicatorum Monachus, & sacra pagina doctor:  
constituitur à Rom. Pont. (cui diu Romæ seruiuerat)  
Episcopus Hildesianus, cui cum duobus annis præ-  
fuisse, & uideret eam gubernationē contentionum ac  
periculorum esse plenissimam: resignata ea, Romam re-  
dijt: ubi anno Domini 1368, & Augustanum & Worma-  
ciensem Episcopatum consequutus est. Augustam  
autem ueniens anno 1369 cum uideret ibi parum esse  
quietis, corrasis Ecclesiæ clinodij Wormaciam se con-  
tulit: tandem anno 1372 Augustana Ecclesia resignata,  
soli Wormaciensi post uarios etiam habitos ibi tumul-  
tus quiete tandem præfuit. Vide de eo Catalogum  
Wormaciensem.

50. BVRCARDVS nobilis heros ab Ellerbach,  
eligitur unanimiti consensu totius summi Canonico-  
rum senatus, in Episcopum Augustanum, anno Do-  
mini 1373, præfuit utilissime triginta annis: obiit anno  
1404. Sepelitur in Cathedrali Basilica Augustana. Ha-  
buit grauissimas contentiones cum senatu populoq;  
Augustano, tandem anno Dominica incarnationis 1397  
post utrimq; acceptā cladem foeliciter compositas.

51. EBERHARDVS comes à Kirchberg, designa-  
tur Episcopus Augustanus ab unanimiter consentien-  
te Canoniorum summi collegij senatu, anno 1404. Præ-  
fuit septem annis non admodum utiliter, semper Dillin-  
gi habitās. Obijt anno 1411. Sepelitur in Wiblingen Be-  
nedictini instituti cœnobio, non procul ab Ulma ad

CATALOGVS EPISCOP.

Ilerum annuam sito, & anno Domini 1099 ab Othone  
& Hartmanno fratribus comitibus à Kirchberg fun-  
dato, ac liberatissime donato.

52. ANSHELMVS nobilis heros à Nemmingen,  
Sueuus: eligitur ex Custode Cathedralis Ecclesie, una  
nini consensu totius cleri in Episcopum Augustanum,  
anno Domini 1411. Quem cum maxime odisset sena-  
tus Augustanus, facile apud Imperatorem Sigismun-  
dum obtinuit, ut is alium quendam Episcopatu Augustano  
præficeret: habita uero deliberatione cū Pon-  
tifice Maximo Bonifacio nono, elegit ille Fridericum  
quendam nobilem à Grafeneck, Abbatem cuiusdam  
cenobij Vngarici, sibi imprimis charum: is Augustam  
anno sequenti ingressus, clementer exceptus est à sena-  
tu populoq; ab aliqua item cleri parte, quæ Frideri-  
cum aræ impositum, Episcopum agnoscebat. Inter hos  
duos disceptatum est annis nouem: coram & Impera-  
tore & Pontifice. Senatus Augustanus tandem anno  
Domini 1420, auro sententiam à Pontifice Martino  
quinto impetrauit, talem uidelicet ut uterq; cederet.  
Anshelmus uidelicet & Fridericus: assumeretur ue-  
ro in Episcopum Petrus Schaunbergius, no-  
bilis Ostrofrancus, Pontificius tum minister. Sic Ans-  
shelmus Blabyram secessit, & ibi reliquum uitæ in  
eiusdem oppidi Monasterio transegit, in quo mortuus  
ac terræ mandatus est, anno Dominicæ Incarnationis  
Millesimo quadringentesimo uicesimo secundo. Fri-  
deris

dericus ad suam Abbatiam in Pannonias redijt, & si  
sint qui eum Brandenburgensem Episcopum designa-  
tum esse affirmant: quem ego tamen in Brandenburgen-  
sium Episcoporum Catalogo non inuenio.

53. PETRVS nobilis à Schauenberg, Ostrofrans-  
cus: Canonicus Bambergensis ac Herbipolensis, consti-  
tuitur Episcopus Augustanus à Pontifice Maximo  
Martino quinto, anno Domini 1410. Confirmatur &  
consecratur anno Domini Millesimo quadringentesi-  
mo uigesimo quarto. Erat uir eximie doctus, eloquens  
tia ac prudentia summa nemini secundus: dederat ope-  
ram literis in Academia Bononiensi: Interfuit Concilio  
Basiliensi. Fuit Imperatori Friderico tertio imprimis  
charus, qui eius utebatur opera & consilio in maxia-  
mis Imperij negotijs expediendis. Præsuit post conse-  
crationem confirmationem, Episcopatus summa cum lau-  
de ac utilissime annis quadraginta quinque. Ornatur  
Cardinalitio Galero & titulo. S. Vitalis Romæ in an-  
no 1410, à Pont. Max. Nicolao quinto. Compos-  
uit et redegit in gratiam ac concordiam disceptantes in-  
ter se Gallie & Angliæ Reges & Burgundionum  
ducem, missus ab Imperatore Friderico tertio: Compo-  
suit duces etiam Bauariæ grauissime inter sese discor-  
des. Erat liberalissimus erga pauperes. Paucis mensi-  
bus antequàm ex hac mortali uita emigraret, assump-  
sit cum totius Capituli sui consensu coadiutorem, Io-  
hannem comitem à Zwerdenberg. Obijt plenus dierum

CATALOGVS EPISCOP.

Et senio maxime confectus in arce Dillingensi, duodecima Aprilis, anni à nato Christo 1469. Reuchitur Augustam & ibi in Cathedrali Basilica ante aram S. Victoris honorifice sepelitur, cum tali inscriptione.

Petrus ex an Schawenberg quondã de styrcpe creatus,

Pileam rubram tuli quæ mihi Roma dedit.

Cardineos titulos sancti Vitalis habebam,

Vindelicam rexi Præsul hic Ecclesiam.

Quadraginta & quinque illic præsedimus annis,

Cardineos titulos gessimus, octodecim.

54. IOANNES patre comite à Zwerdenberg natus, matre uero comitissa Wirtenbergensi: assumitur à uiuente adhuc Cardinale & Episcopo Petro in coadiutorem. Postea mortuo Petro, eligitur unanimi consensu totius cleri etiam in Episcopum, anno 1469. Ingressus est Augustam insigni comitatu, mille & octingentorum equitum, decima septima Iunii, anno 1470. Præfuit laudabiliter ac utilissime annis 17: Renouauit & egregie illustrauit arcem Dillingensem, in qua semper ferè habitare solitus est. Obijt uicesima Ianuarij, anno Domini 1486 Francofurti in Comicijs, in quibus eligebatur in Imperatorem Romanorum, Diuus Maximilianus FridERICI tertij filius. Reuectus est Augustam, & in Cathedrali Ecclesia sepultus cum tali Epitaphio.

Zwerdenbergensi comitum de gente IOANNIS

Præsulis Augustæ hoc sunt sita membra solo:

Incl

Inclyta par generi uirtus cui præstitit, ut post  
 fata sui uiuat charus in ore gregis.  
 Ossa diem tellus fouet expectantia magnum,  
 Ortus dum recolit spiritus ipse suos.  
 Sit tibi terra leuis præsul dignissime uita:  
 Dignus & Angelicis qui sociere choris.

55. FRIDERICVS patre comite à Zollern na-  
 tus, matre uero comitissa Dwerdenbergensi, Episcopi  
 Ioannis sorore: Decanus summi collegij Argentinen-  
 sis: eligitur à toto senatu Canonorum in Augustana  
 Ecclesiæ antistitem, intercedentibus pro eo Diuis Fri-  
 derico & Maximiliano Imperatoribus. Præfuit annis  
 nouendecim: erat uir mitis ac pius & castus, omnibus  
 hominibus longe charissimus, Episcopatus sui diligen-  
 tissimus ampliator ac locupletator, Maximus interim  
 Eleemosinarum distributor. Tandem iusto auarior fa-  
 ctus, insolitis exactionibus subditos suos oneravit:  
 ex qua re natum fuisset ingens bellum, nisi quicquid  
 erat inter Episcopum & Rempub. Augustanam dissidij  
 à comite quodam Montis fortis compositum et trans-  
 actum esset. Leuauit de tumulto Sanctum Simbertum  
 Episcopum Augustanum in præsentia Imperatoris  
 Maximiliani. Hohenzollern arcem maiorum suos-  
 rum egregijs ædificijs illustrauit: Burladingum ar-  
 cem Alpium Sueuiæ ex imis fundamentis instauit:  
 Hechingum pulchre illustrauit & renouauit.

CATALOGVS EPISCOP.

Arcem Dillingensem ampliauit & adiacente horto  
exornauit. Deceſſit ex hac mortali uita, 8 Martij,  
anno Domini 1505, ætatis ſuæ quinquageſimo quinto:  
ſepelitur Auguſtæ in Baſilicæ Cathedralis ſacello Sana  
ctæ Gertrudi dicato, cum tali inſcriptione:

Fridericus comes de Zorn, Episcopus Auguſ-  
tanus, pietate inſignis, memoriæ ſuæ P. Obijt  
anno ſalutis Milleſimo quingenteſimo & quin-  
to, Octaua Martij.

56. HENRICVS nobilis heros à Lichtenaw, ultia-  
mus ſuæ gentis, utriuſq; Iuris eximius doctor, uir exis-  
mia ſapiëntia ac uirtute præditus: pacis ac trãquillæ ui-  
tæ ſtudioſiſſimus: ſummi collegij Canonicus ac Vicar-  
ius: eligitur unanimi totius Capituli conſenſu in Epi-  
ſcopum, in ipſis Maij Calendis, anni Chriſtianorũ Mil-  
leſimi quingenteſimi quinti. Præfuit annis duodecim  
ſumma cum laude. Obijt duodecima Aprilis anni à  
nato Chriſto 1517, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo.  
Abſoluit arcem Dillingenſem: Aedificauit in eodem  
oppido magnificum templum Sancti Vlrici contiguum  
minori monialium congregationi, quod monaſteriolum  
clauſit. Denuo reaedificauit ex imis penè fundamentis  
arces Khillentalenſem ac Zuſmarhuſanam. Illuſtrauit  
nouis ædificijs Palatiũ Episcopale, quod eſt in Auguſtæ  
Vindelicorũ. Cũq; ſenio cõſectus ægrotaret, aſſumpſit  
cum totius Capituli conſenſu in coadiutorem dominũ  
Chriſtophorum à Stadion, ſummi Collegij Decanum.  
Obijt



Obijt Dillingitandem in ipsa aurora diei, quæ resurre-  
ctioni Christi dicata est, cum rationis optime adhuc  
compos, omnibus, ac singulis consiliarijs porre-  
cta manu ualedixisset. Postero die Augustam auctus,  
in Cathedrali Ecclesia & S. Gertrudis sacello post  
summam aram honorifice cū summo omnium suorum  
luctu sepelitur, superaddito eius tumulo tali Epitaphio

Monumentum Henrici ex familia de Lichtenow  
Episcopi Augustensis, optime de Ecclesia sua me-  
riti, q̄ obijt Anno salutis 1517. duodecima Aprilis.

57. CHRISTOPHORVS à Stadion, nobilis ge-  
nere, nobilior cruditione, nobilissimus uirtute, ac me-  
ritorum dignitate, Decanus summi Collegij: assumis-  
tur primum ab Episcopo Henrico decrepito ac ualetu-  
dinario Principe in gubernationis coadiutorem. Pos-  
tea uero decedente ex hac mortali uita antistite Hen-  
rico, eligitur unanimibus totius Capitul. suffragijs, in  
Episcopum ac supremum gubernatorem, Anno re-  
paratæ salutis 1517. Doctor erat utriusq; IURIS, om-  
nium eruditorum ac aliqua doctrina præstantium in-  
comparabilis fautor ac Mœcenas: pietate, liberalitas  
te, benignitate in pauperes, clementia, & conseruandæ  
publicæ pacis studio nemini mortalium secundus. Dis-  
cordiarum ac disceptationum inter Principes ortarū,  
diligentissimus ac foelicissimus conciliator: Verus in  
hoc Patriæ pater, & iccirco omnibus doctis, omnibus  
bonis charissimus: Interfuit multis Comicijs, primis

V 5 uidelicet

## CATALOGVS EPISCOP.

videlicet, anno domini 1518 à Diuo Maximiliano Augusta celebratis, postea Carolinis ferè omnibus in quibus semper pacis suasor ac author extitit. Praesuit Episcopatu Augustano summa cum laude, & ut prudentissime sic etiam utilissime annis uiginti quinq; semper ferè Dillingi residens cum toto clero, qui propter mutatum genus doctrinae ex Augusta secesserat. Construxit & fundauit Xenodochium Zusmerhusanum, tribus lapidibus ab urbe. Decessit ex hac mortali ad immortalem ex lugubri ad omnis tristitiae expertem, ex momentanea ad aeternam uitam, anno incarnati uerbi 1543 Noribergae in comitijs à diuo Ferdinando Romanorum, Bohemiae & Hungariae rege habitis, quibus interfuit & Caesareae maiestatis commissarius praesuit in arduis imperij negotijs. Intestina eius in caenobio Egidiano, terrae parenti reddita sunt: Ipse honorifice pompa funebri, cum non suorum tantum sed omnium bonorum luctu, Dillingum reuectus, & ibi honorifice sepultus ac terrae mandatus est, in Collegiata eius oppidi Ecclesia. Huic incomparabili Episcopo, domino ac Mecenati meo clementissimo, Epitaphion à me gratitudinis ac memoriae ergò positum est, in Syluarum mearum libro primo, Lipsiae eodem anno (quo obiit optimus Episcopus) edito.

18. OTHO laudatissimi comitis, domini Gulielmi Dapiferi à Walburg filius, sub praefectore Luca Landstrato legum imperialium eximio doctore, fundameta

menta bonarum literarum Tubingæ foeliciter iacens,  
 mox deinde cum eodem ad celeberrimum Gymnasium  
 Doleianum in Burgundionibus situm missus, cum ibi  
 etiam aliquandiu summa cum laude in honestarū ar-  
 tium ac liguarū studijs uersatus esset, tandē eodē duce  
 ad omnium Italiae nobilissimam Academiam Pataui-  
 nam profectus est, ubi adolescens tam carmine quā  
 soluta oratione cum doctissimis Italis animi causa cer-  
 tare est ausus. Papiæ etiam aliquandiu uersatus, ele-  
 ctus est ibi in Academiæ rectorem, ut Alciati do-  
 ctissimi Iurisconsulti edita oratio testatur. In Germa-  
 niam postea reuersus, anno domini 1543. eligitur un-  
 nimi totius cleri consensu, Dillingi in Episcopum Aus-  
 gustanum: Sequenti anno donatur Vuormatiæ Galero  
 Cardinalitio, factus Presbiter Tituli S. Balbinæ. Est  
 summis orbis terrarum principibus Diuis Carolo quin-  
 to, ac Ferdinando fratribus charissimus. Præest adhuc  
 anno Christi 1549. quo unā cum uniuerso clero suo,  
 Augustam redijt.

Scruet eum, fortunet eum, qui temperat orbem  
 Cunctaq; ab æthereâ Iupiter arce uidet.  
 Illum ipsum unanimi consensu numina cœli  
 Pontificem faxint Maxima Roma tuum:  
 Secula sic sortasse aderunt foelicia rursus  
 Qualia Saturni secla fuisse ferunt.

AD

CATALOGVS EPISCOP.  
AD NOBILISSIMAM VRBEM  
Herbipolensem in Ostrofrancis Schediasma  
Gasparis Brusohij Poetae laureati.  
Herbipolis Druidum quondam celeberrima sedes,  
Francigenae eximios quos coluere uiros.  
Quosq; adituri hostem, & Mauortia bella, solebant.  
Non se cus ac summos consuluisse deos.  
Herbipolis Bachi & Cereris pulcherrima mater,  
O Moeni decus & filia pulchra senis.  
Etsi te tuus ille canat Laurentius heros  
Frysius ingenio, Frysius arte potens.  
Pontificum qui res gestas & facta tuorum,  
Nominis aeterni gratus honore beat.  
Quiq; habet in chartis, quicquid Germania tota  
Antiquum, quicquid Rhemus & Ister habent.  
Etsi inquam canat ille tuas urbs inelyta laudes,  
Attamen hunc etiam suscipe grata librum.  
Solut Alexandrum quamuis depinxit Apelles,  
Ut pingi alterius noluit ille manu:  
Attamen à Cherylo est passus se paupere scribi,  
Et sua cantari carmine facta rudi.  
Sic etsi ille domite Frysius ornet Apelles,  
Esse tamen Cherylum me parciere tuum.  
Quem certe Ewaldus tibi Creuzionachius ille  
Pontificis magni curaq; amorq; tui,  
Annumerare suis ut dudum est ausus amicis,  
Incommendatum non sinet esse, Vale.

Nominum